



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.


Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

Præfatio Auctoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)



PRÆFATIO AUCTORIS.

Quantum unicuique emolumentum, quantosve fructus afferat notitia Historiæ, præprimis Ecclesiasticæ, usque adeo omnibus notum, ac communi Suffragio comprobatum exstat, ut impræsentiarum illius elogium fusius texere, prorsus supervacaneum existimemus. Sufficiat cum D. Abbate Fleurio (*) dixisse:

(*) *Dissertat. I.*

xisse: *Nihil magis Christianum in fide roborat, quam si eandem Doctrinam, quam hodie tenemus, a principio Ecclesiæ tot miraculis, & Martyriis confirmatam legat.* Si in Sanctorum Historiis talia inveniatur exempla, quæ verbis quibusvis efficacius, & solidam pietatem docent, & omnem nostram, qua corruptos mores palliare conamur, excusationem retundunt; dum perfectionem Christianam non modo possibilem, sed & facilem ostendunt, utpote quam tum Christus Dominus nobis præmonstravit, tum sanctissimi ejus Imitatores profecuti fuere.

Præterea, ut ego arbitror, Historiæ Scopus is est, ut homines efformet prudentes, & humanæ societati aptos, dum eis exhibet illorum vitia, quorum mores redarguit, ut exinde suos corrigere addiscant. Non enim Historici studii summa in eo sita est, ut quis memoriam suam integris Chronologiæ Calculis, ac Hominum, rerumque Gestarum Centuriis impleat;

impleat; nec se multum profecisse (prout tamen non paucis usuvenit) aut jamjam eruditi hominis laudem promeruisse autumet, dummodo lecta vel audita prompte & faciliter deblaterare sciat. Sed verior, atque sublimior studii hujus usus est, nosse Homines, sanum de illis posse ferre judicium, eorum agendi rationes, opiniones, atque passiones eo fine perscrutari, ut harum radices, insultus, artes, & fallacias detegat, illusiones, quibus intellectum obfuscant, & lenocinia, quibus incautam voluntatem depravant, agnoscat. Demum ulterior ejusdem studii fructus est, naturaliter quasi, & sine artificio secum notabiliora, quæ lecta fuere, attentius perpendere, eo consilio, ut ex lectione eorum non solum viri prudentes, sed & boni Christiani efficiamur; hæ enim sunt binæ illæ dotes, quæ genuinæ probitati individua societate copulantur.

Quid enim solummodo in genere, atque in confuso scire juvat, homines esse virtuosos, atque vitiosos, multis passionibus, & enormibus sceleribus obnoxios, horum quosdam adjutorio gratiæ ad meliorem frugem redactos, alios criminum suorum cœno usque ad mortem immerfos hæsisse, nisi ejusmodi cognitionos ad horum detestationem, atque ad illorum imitationem incitet, quod plane assequi nullatenus poterimus, nisi sedulo omnes investigemus modos, quibus in ejusmodi vitia & tu cadere posses, & alii ordinarie cadunt, & quibus modis ex talibus inquinamentis tanquam vir Christianus resurgere valeas. Talis porro studii materiam sola nobis suppeditat Ecclesiæ Historia. Illa siquidem innumera, ac diversa exhibet facta ferme omnia, vel ex vitiis, vel ex vera virtute progenita; in his igitur discreto studio dignoscendæ sunt omnes nostræ actiones tam laude, quam vituperio dignæ, illæ

illæ a nobis imitandæ, hæ fugiendæ. Præterea considerare oportet illorum, qui talia gesserunt, conditionem, ætatem, & studia, item, quæ ejusmodi actiones præcesserunt, quæve secuta sunt; est quoque habenda temporis, & loci ratio, ac denique omnes aliæ etiam minimæ attendendæ sunt circumstantiæ, quas vel ideo probatiores Historici in casibus occurrentibus quam solertissime referunt, ut lector multiplici harum luce, factaque desuper matura reflexione, secreta cordium penetrare, qua intentione in tali vel tali casu res peracta fuerit, cognoscere, & clarum inde certumque judicium efformare valeat. Hic quoque præcipuus erat scopus D. Abbatís Fleurii, suam primorum quatuordecim sæculorum Ecclesiæ Historiam concinnantis; quam ego pari quidem motivo stimulatus prosequor, impari tamen successu: Quippe inter ea, quæ ipse præstitit, & quæ ego præstare ca-

pax sum, ingens intercedere discrimen
ultra agnosco.

Antequam vero lucubrationis meæ
feriem exponam, piis manibus D. Fleurii
parentaturus, præcipua vitæ suæ gesta
omnium oculis exhibere aggredior.

Fleurius Abbas patria Parisinus die
fexta Decembris Anno millesimo sex-
centesimo quadragesimo primam lucem
aspexit, Patre caussarum Patrono longe
sagacissimo, Rothomagi oriundo. Ad-
jecit primo Fleurius noster animum fo-
rensis curis, ubi emenso novem anno-
rum curriculo Jurisprudentiæ, ac libe-
ralioribus Musis indefessam navavit ope-
ram. Verum ipsa ejus indole ad tran-
quillius vitæ genus propendente, caussi-
dicum exiit, ac clericali militiæ nomen
dedit, sacro Presbyteratus ordine ini-
tiatus, sacratoribus Theologiæ, S. Scri-
pturæ, Historiæ Ecclesiasticæ, & Juris
Canonici disciplinis, præcipue vero San-
ctorum Patrum studio pro status sui ra-
tione

tione totum se sacravit, atque ingenii sui amplitudinem intra harum duntaxat scientiarum limites restrinxit, optime gnarus, intellectum nostrum, quo pluribus se impenderet, eo minore profunditate penetrare singula. His artibus sat excultus; Anno supra millesimum sexcentimum septuagesimo secundo admotus est Juventuti Principum de Conti erudiendæ, quos Rex Delphino Filio suo educandos commiserat. In qua palæstra tanta solidæ virtutis, ac moderationis specimina edidit, ut ipse potissimum eligeretur, cui Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo educatio atque institutio Principis Veromanduani Franciæ Admiralis Filii crederetur, quo fati erepto Rex anno Domini millesimo sexcentesimo octogesimo quarto concessit Fleurio Loci-Dei Abbatiam Ordinis Cisterciensium, diocesis Ruthenensis. Quinto exposit anno, nimirum millesimo sexcentesimo octogesimo

gesimo nono Ludovicus XIV. Rex eidem imbuendos tradidit Nepotes suos, Ducem nimirum Burgundum, Andegavensem, modernum Hispaniarum Regem, & Bituricensem. Tandem anno millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto Academia Parisiensis illum inter membra sua cooptavit; Dubium, an inde dignius præmium D. Abbatis Fleurii meritis, an Universitati major gloria accesserit. Cum alterfati tres Principes Anno millesimo septingentesimo sexto studiorum curriculum emensi essent, regio beneficio Prior Argenteliensis Ordinis S. Benedicti, Parisiensis Diœcesis creatus est. Hic vero religiosus sacrorum Canonum cultor, in quorum studio totus erat, rarum animi a proprio commodo penitus alieni specimen edidit, dum Loci - Dei Abbatiam dimisit. Tum vero aulæ tumultibus expeditus, quamvis & in aula veluti in solitudine inter libros, & pulpita, ac muneris sui curas toto reliquo

tem-

tempore delitescens vixisset, præclaras ingenii sui dotes, ac otium unice Ecclesiæ bono consecrare decrevit. Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto *Historiam Juris Francici* non tamen sub suo nomine imprimi fecit, quæ postmodum Institutionibus Juris Gallici ab Argudo Parlamenti Caussidico compositis præfigebatur. Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo primo edidit tractatum *de moribus Israelitarum*, qui ad sacrarum literarum studium veluti Isagogen exhibet. Paulo post alium elucubravit *de moribus Christianorum*, in quo primorum Christi Domini discipulorum, nec non aliorum, qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, sanctitatem insigniter commendat. Jam An. millesimo sexcentesimo septuagesimo nono publicam lucem aspexit ejusdem *Catechismus Historicus* complectens veram ideam Historiæ Religionis Christianæ, a creatione Mundi usque ad ad-

mi
ventum

ventum Christi, & demum a Nativitate Domini ad nostra usque tempora. Hoc idem opus sub vario idiomate postmodum prodiit. Typis quoque Anno supra millesimum sexcentesium octogesimo quarto excusa habetur, *Vita Matris Arbuzæ* Reformatricis Monasterii de Valle Gratia. Dupinus tractatum *de selectu, & methodo studiorum* Anno MDCLXXXVI. editum, velut Regiam ceterorum Fleurii operum clavem commendat. Postquam enim cujuslibet scientiæ studia a primordiis Ecclesiæ usque ad præsens ævum Historice profecutus esset, circa ipsam studendi methodum certas quoque Regulas, ac consilia diversis personis congrua insinuat. Anno sequente vulgavit *Institutiones Juris Ecclesiastici*, quæ quasi compendium sunt *Practicae Juris Canonici ad usum hodiernum accommodatae*; Anno Domini millesimo sexcentesimo octogesimo octavo publici juris fecit opusculum

lum de obligationibus Patrumfamilias, & Famulorum, cujus generalia monita folide stabilita tam his quam illis oppido proficua esse probantur.

Denique manum admovit viginti voluminum labori, scilicet *Historiæ Ecclesiasticæ*, cujus primus tomus Anno MDCXC, ultimus vero An. millesimo septingentesimo decimo nono publicam lucem aspexit. In hoc suo opere studiosius ea recenset facta, quibus Ecclesiæ Doctrina, Disciplina atque mores vel stabiliri, vel dilucidari queunt, præcis iis, quæ vel levioris sunt momenti, vel modicum inter se, aut cum principali Historiæ scopo nexum habent: solummodo coævorum adoptat Scriptorum testimonia, & inter hos ipsos duntaxat illos, quorum sinceritas magis probata est. De suo nil nisi brevissimas quidem, sed prudentia ac judicio plenas adjicit reflexiones. Dissertationes, discursiones, atque notas criticas a sua
Histo-

Historia exulare jubet, nec Chronologiae quaestionibus morosius se implicat; Ex operibus Sanctorum Patrum selectiora extraxit testimonia, quibus Ecclesiae Doctrinam, Disciplinam, atque mores haud parum comprobatos reddidit. Non nisi ea Sanctorum Martyrum acta selegit, quae genuina magis esse agnovit. Imperatorum seriem, & specialiores indicat eventus, praecipue illos, qui cum Historia Religionis nostrae necessario connexi videntur. In Dissertatione, quam primo suo praefixit volumini, certas, quas sibi praestituit, regulas exponit, easque fideliter sequitur. Reliquae Dissertationes, quas quibusdam voluminibus praebambulas adjecit, manifeste materiaram selectum, eruditionem, & acre auctoris judicium testantur. In octavo tomo Dissertationem reperies, quae Christianae Religionis institutionem Divinitus factam, nec non Ecclesiae Regimen exhibet; In tomo decimo ter-
tio

tio differit de Barbarorum incurſibus, ac literarum neglectu, in ſexto Decimo de mutatione, quæ facta eſt in diſci- plina Eccleſiæ, & modo injungendi pœnitentias Eccleſiaſticas, de translationibus Episcoporum, de erectione Episcoporum Cathedralium, & de appellationibus &c. Diſſertatio tomo decimo ſeptimo præfixa agit de Academiis atque literarum ſtudiis; in tomo decimo octavo diſcurrit de expeditionibus cruciatarum, nec non de Indulgentiis: in decimo nono de Jurisdictione Eccleſiæ propria, ubi de Inquisitione agitur. Denique in vigesimo tomo, in quo Fleurius Historiam ſuam uſque ad annum Domini milleſimum quadringentimum decimum quartum protraxit, habetur diſſertatio de Origine, ſtatu, atque Religioſorum ordinum relaxatione.

Hæc eſt ſumma totius Fleurianæ hiſtorix, quam dum ulterius proſequi meditabatur, mors ei calamum excuſſit die

Hiſt. Eccleſ. Tom. XXV.

b 14. Jul.

14. Jul. Anno 1723. ætatis suæ 82. antea Regi Ludovico XV. anno 1716. a secretis conscientiæ datus, verum senio confectus anno 1722. mense Martio regii confessoris munus abdicavit. Cum autem docti hujus Abbatis historiam continuari literaria respublica ardentibus cuperet votis, hanc provinciam in me suscepi, quamvis me ipso iudice ac teste multum alienus sim ab illo emphatico, nequaquam affectato, sed connaturali, ac fluido hujus Auctoris stylo, transitionibus e re natis, efficacibus expressionibus, ac animadversionibus, succinctis equidem, sed iudicio plenis, per viginti illa historiæ suæ volumina ubertim disseminatis. Uno verbo cunctis hisce dotibus me destitutum profiteor. Verumtamen veniam dabis Lector, si pro mea defensione tibi dixerò, quod me nusquam Fleurianaë historiæ continuatorem jactitare præsumserim, sed quæ publici juris facere aggredior, non nisi exiguum mei laboris

boris fructum esse, quem in trium posteriorum sæculorum historia eo consilio impenderam, ut pro meo privato usu completum historicum opus præsto haberem, quod esset quasi supplementum eorum, quorum desiderium nobis doctissimus iste Abbas reliquit, quem etsi tam feliciter cursum suum consummasset, invida mors meritis graviolem, quam annis intempestive nimis literariæ reipublicæ sustulit. Itaque præsens hoc opus non nisi ad propriam meam instructionem composui, & si ita loqui fas est, legitimo desperationis æstro motus, quo hanc historiam ab alio continuandam diffidebam, vicit vero quorundam amicorum importunitas, qui meam lucubrationem sub redundantis utilitatis obtentu publicam fieri urgebant. Cum ergo isti quodammodo invitum me hujus partis parentem esse voluerint, necesse est, ut propositi mei, ac modi, quo illud executus sum, rationem exponam.

b 2

Igitur

Igitur digniora posteriorum trium sæculorum gesta tam Ecclesiæ, quam diversorum Europæ statuum in æqua, atque ad mensuram diffusa imagine exhibere, ac simpliciter colligere statui, quibus insuper illos viginti quinque annos, quos in præsentis decimo octavo sæculo jam jam retro egimus, subjungere cogito. In prima mea editione historicam hanc continuationem in annales dispertiri libuit, persuasus, Lectorem hac via intra cujuslibet anni decursum singula historiæ capita facilius, & quasi unico obtutu reperturum. Hæc ipsa methodus solemnis fuit Spondano Appamiarum Episcopo, & ante ipsum Cardinali Baronio, cujus annales idem contraxit, continuavitque, item D. Gadavio Veniensi Episcopo, Genebrardo & pluribus aliis eruditioribus Chronologistis, quin imo ab ipso Fleurio hunc scribendi modum, si suam historiam profecutus fuisset, adoptatum conjicio; Nam

in

in dissertatione præfationis loco ad primum volumen posita sequentia habet: (*)

Ordinem temporum observavi quidem inquit ille, sed non anxie: non cuilibet licet annales scribere; id quidem Tacitus potuit, quia scripsit facta sibi cum omnibus circumstantiis nota, sed & omnium gestorum utpote recentium diem noverat. Annales ergo illarum rerum scribi possunt, quæ nostro ævo acciderunt, ita quidem hodie hanc aliquis historiam Ecclesiasticam ex tempore Concilii Tridentini; vel etiam Constantiensis scripturus, posset eam in annales disponere, at si quis antiquissimorum temporum facta, de quorum die vel anno vix conijcere liceat, aliquorum autem tempus penitus ignoret, in annales redigere velit, is post immensum suum laborem ipse sæpissime falletur, & alios fallet.

Verum hæc ipsa methodus suis non caret nævis, quod idem Abbas optime anim-

(*) *D. Fleurii Dissert. I. §. 24.*

animadvertit, iungens: *Neque facta illa, de quibus annus diesque, quo contigerant, scitur, secundum exactum temporis ordinem ponere semper consultum est; Nam si sæpissime interrumpatur, valde arida erit narratio, fietque, ut facta non coherentia sine delectatione legantur, & sæpe necesse erit ex oriente in occidentem, Roma Antiochiam commigrare, jam inceptum in Italia concilium abrumpere, & ad aliud converti in Africa celebrandum; jam una linea erit interserenda ad notandam Pontificis vel Imperatoris mortem, & hæc omnia vel sine nexu erunt ponenda, vel transitionibus longe quæsitis assuenda. Præstat aliquot annos anticipare, vel ad jam præteritos retrocedere, ut factum notabile a principio ad finem narrando deducatur.* Ergo D. Abbatis Fleurii ordinem sequor, & suo exemplo historiam meam in libros divido, hac ratione hæc continuatio a tædiosis interruptionibus erit immunis, simulque methodo in primis

mis

mis viginti tomis observatae magis consona evadet. Hoc opus nostrum non equidem est universalis omnium omnino gestorum historia, neque tamen meram eorundem Chronologiam esse existimes: media potius incessimus via, nec quae necessaria judicavimus, negligentes, nec quae superflua, aut quae scholasticas altercationes ac controversias sapiunt, adducentes. Historici munus est factorum ordinem, & circumstantias referre, non autem in quo temporis articulo evenerint, argumentis, rationibus ac testimoniis operosius indagare, aut fusius comprobare. Econtra Chronologia unice insudat non solummodo in perquirendis principalioribus epochis, sed & mensibus, diebus, imo non nunquam ipsis horis, quibus ejusmodi contingere fata, cum tamen historia nude similia recenseat, nequaquam discutiat. Quapropter Chronologia rerum praeteritarum adeo obscuram juxta, ac exsiccam suppeditat notitiam,

ut intellectus hominis plane jejunus relinquatur. Igitur animo constitui Historiam Chronologiæ ita conjungere, ut nobiliora facta cum suis circumstantiis, stilo historicis usitato, & longe magis diffuso, ac Chronologis usuvenit, complectar, indicaturus tamen, quantum poterò, præcisum tempus, quo facta acciderunt, Chronologorum argumentis, & celebriorum ac fide digniorum Auctorum comprobatum testimoniis, quorum nonnunquam formalia verba in nostrum idioma translata referam. Historiæ Ecclesiasticæ intermiscui statuum Europæ historiam, ut hujus notitia planam sternat viam ad illius scientiam. Forsan Lector me quandoque nimis prolixitatis arguet: Atamen liberalius in politicis excurrentem duntaxat inveniet, quando vel historia Ecclesiæ in certis quibusdam annis præciorum suppeditavit materiam, vel quando Summi Pontifices aut per se aut suorum Legatorum ministerio in Principum nego-

negotiis partem habuerunt. Sic in XXIII. volumine, in enarrandis diffidiis inter Ludovicum XI. & Carolum Burgundiæ Ducem, exortis fatis copiosum exerceo calamum, sed ideo factum, quia Sixtus IV. sese interponens, Nepotem suum Cardinalem tit. S. Petri ad vincula ad componendos hosce Principes in Galliam ac Flandriam miserat, idem intellige de famosa Neapolitana causa, quæ in XXIV. tomo occurrit; articulationes ejusmodi excursiones fastidiosæ esse nequeunt, cum innumera doceant, ac indicent facta, quæ non nisi ex diversis primum hauriri possent auctoribus, quos tamen vel per eorum, vel temporis defectum consulere unicuique integrum non est.

Ceterum nec invenies in hoc opere nimium sincopatas factorum narrationes, ex quibus nihil addiscimus, nec immensam voluminum ac rerum, quarum notitia inutilis est, voraginem, ubi omnes etiam minimæ circumstantiæ prolixo ser-

mone efferuntur, nam descriptiones rerum, hominum indoles quasi anatomice dissectæ, Dissertationes politicæ, ac morales reflexiones, factorum substantiam absorbent, memoriam obruunt, & nimia mole mentem occupant. Cuique materiæ accomodam amplitudinem tribuere statuimus, quæ absolute ignorari possent, superficietenus, quæ vero scitu necessaria sunt, intimius perscrutantes. Nec tamen omnes descriptiones, morum exaggerationes, politicorum regulas, minus vero reflexiones morales exulare iussumus, sed tamen in omnibus magis veterum genio conformes fieri maluimus, quam modernorum quorundam abusui, qui ejusmodi condimentis ordinarie vel nimis diffuse, frequenter, & insulse utuntur, & hoc ipso persæpe tædium afferunt, eo quod illo sale, quo saperent, lucubrationes suas non aspergunt. Præcipue declinavimus ejusmodi flores de longe quæsitos, nec adhibuimus illos, nisi quando

enom

do

do sponte sua occurrerunt, vel quia factorum sunt causæ, effectus, vel circumstantiæ, quæ tantum abest, ut historiam obfuscent, ac confundant, quin potius illustriorem reddant. Ac ideo rariores addimus reflexiones, in illis se exercendi, ac Phantasiam suam pascendi copiam Lectori relinquentes.

Veritas, cum Historiæ anima sit, unica quoque scriptoris meta ac gloria esse debet, nisi illorum vitio notari velit, qui, ut suis libris gratiam concilient, eos fabulosis episodis, & factis artificiose concatenatis, ut eventum eo magis prodigiosum venditarent, replent. Proh! quot libri ob solum hoc vitium etiam a mediocri ingenii Viris hodiedum vilipenduntur, & non alios, si tamen quosdam habent, Lectores nanciscuntur, quam qui eos non tanquam veram historiam, sed quamdam ingeniose confictam narrationem respiciunt. Exacta ergo veritas semper præferenda est istis cupediis, quæ
sine

sine ejus dispendio adhiberi nequeunt, & quidquid, veritati consonum non est, cujuscunque demum pretii sit, ab historico longe abesse debet. Equidem in rebus dubiis, & utrinque controversis una opinio huic Scriptori verisimilior videri potest, quam alius tamen improbabilem (& forte talis omnino est) judicat. At tamen hoc talis naturæ vitium est, a quo se eximere præsumptio foret, omnes enim homines huic malo obnoxii sunt, & solus Deus est, cui omnium rerum veritas cognita est.

Quidquid in mea historia refero, testibus comprobo, quos, ut veritatem facti ex proprio illorum, ut ita dicam, ore ediscere valeat Lector, nominatim exhibeo, & citationes, quas in editionis primæ tomo XXI. (in 12^{mo}) omiseram, in margine suppleo, plurimasque tomo XXII. adjicio, eo enim tempore nimis facile mihi persuaseram, quod eruditi Viri fontes, ex quibus narrata hauserim,

abs-

absque negotio detecturi, ceteri vero eos nunquam consulturi sint. Verum hanc meam opinionem non omnibus aridere, sed nullum factum sine teste ab Historico produci debere edoctus sum, præcipue a quodam apprime erudito, ac considerato Censore, (*) hujus mei libri examinatore, ac judice dignissimo, cujus judicio eo promptius acquievi, quo celebrior audit Abbas iste non solum in dijudicandis sincerissimus, & integer, ac limato suo judicio longe præstantissimus, prout cunctæ suæ lucubrationes testantur, sed etiam ob vastam eruditionem suam, ac morum comitatem atque gratiam summe commendandus.

Fere omnes novissimorum sæculorum illustriores Auctores hanc methodum adoptarunt, veluti Spondanus, Tillemontius, Fleurius, P. Daniel, Infantius, Marsolerius & tot alii. Præclara horum exempla imitaturus etiam tritissimos quosque

(*) *D. Abbas Villiers.*

que, & omnium manibus obvios allegavi Auctores, ut Lectores dictorum meorum fidem, & penitiorum notitiam ex ipsis fontibus facili labore haurire queant. Quid enim ejusmodi citationes prodes- sent, si Lectores duntaxat ad vetera & rara remitterentur monumenta, vel ad manuscripta, quæ vix ulli ad manus sunt? Si vero cujusdam libri vulgaris citatio- nem historico parum dignam objectave- ris, memento, Lectoris utilitatem ac com- modum longe præstantius esse bonum? Auctor enim, qui suam gloriam Lectorum fructu potiorum facit, vanitate tumens est, cujus fallaces fuci timeri, & fides e- jus, nisi probatis documentis bene muni- ta sit, semper suspecta esse debet. Igi- tur ex citationibus ad marginem positis patebit, me Auctorum coævorum, ac re- centiorum auctoritate indiscriminatim u- sum fuisse. Prædecessorum meorum stu- dia, mea facio, eorum verba describo, nec tamen cæco modo sequor, temporis

quod

quoque supputationes adopto, quæ mihi magis stabilitæ videntur.

Nec tamen hoc unico Lectorum utilitas ex hac editione redundans circumscribitur; Nam hæc duo volumina attentò oculo perlegi, studiose menda subinvel meam vel librariorum solertiam effugientia castigavi, monita mihimetipsi data fideliter executus sum, nec ea in vanum accepisse, ex compluribus correctionibus in nova hac editione obviis apparebit. Historiam Sæculi XV, a quo exordior, non usque adeo clare, ac perspicue exponi posse judicabam, nisi rem quasi ab ovo repeterem; quocirca præliminarem dissertationem præfixi, quæ totam complecteretur Historiam a principio schismatis An. 1378. usque ad electionem Archiepiscopi Barenfis, Urbani VI nuncupati, & Gregorii XI successoris, dein usque ad Clementem VII. quinque post mensibus Fundis electum, a quo incæpit in Ecclesia schisma, ultra quinquaginta annos continuatum, & primum

in

in Synodo Constantiensi extinctum. Infantius hujus concilii Historiam ex monumentis Domini Vander-Hardt (unde & ego non pauca usui meo accommoda mutuavi) collectam posteritati reliquit. Abbas Fleurius quidem eandem hanc materiam usque ad dictum Concilium enarravit, attamen hic auctor, præterquam quod ad unicum tomum vix non octoginta annorum cursum restrinxerit, & plurima provectæ ætatis vitio suam solertiam, ac memoriam effugerint, insuper innumeras omisit rerum circumstantias, prout ex meo Summario patebit. Hac ratione motus historiam meam a sæculo XV. & anno 1401. inchoare decrevi.

Præterea in cunctis hujus sæculi factis consului Theodoricum de Niem, S. Antoninum, Onuphrium, Trithemium, Bzovium, Marianam, Platinam, Ciaconium, Leunclavium, Cardinalem de Alliaco, Gersonium, Clemangium, Sguropulum a Kreigtonio e Græco latine red-
ditum

ditum, & plures alios, quos citatos reperies. Substantiam vero eorum, quæ Historiam Ecclesiasticam respiciunt, desumpsi ex collectione Conciliorum Patris Labbei Jesuitæ, quem in iis, quæ dogma tangunt, tanquam Ducem meum secutus sum, nec minus etiam acta Justiniani, & Augustini Patricii in eadem collectione relata, ex quibus Conciliorum Ferrariensis, & Florentini gesta non modicam lucem acquirunt. Quantum ad Synodum Basileensem, omni qua potui, solertia cunctas illius Sessiones per novem annos habitas indicavi, consultis iisdem Patricii actis, & fideliter extractis, quæ Æneas Sylvius, & Archiepiscopus de Palermo, sub nomine Panormitani cuique notus, scripta reliquerunt, primus quidem in suis Epistolis, Bohemiæ Historia, suis commentariis, & in quodam opusculo, cui titulus: *Gesta Concilii Basileensis*, quod præfixum legitur libro: *Fasciculus*, edito ab Orthuino Gratio, & Londini An. 1690. typis impresso, ut taceam veterem editio-

neam Sylvium pro rebus Bohemiæ, Marianam pro Historia Hispaniæ, Othonem Frisingensem, Cochlæum, & Heiffium pro Germania; Guilielmum Camdenum, Polydorum Virgilium, Larreyum, Rapi- num Toyras, & Patrem de Aurelia Je- fuitam pro Anglia, Joannem Juvenalem ab Urfinis, Monachum Sandionysianum Anonymum, Joannem Chartierum, & Matthæum Coucyum pro Francia sub re- gno Caroli VI & VII, pro Regimine au- tem Ludovici XI, & Caroli VIII, Phi- lippum Cominæum ultimæ editionis Bru- xellis anno 1723. in quinque volumini- bus opera D. Godefridi impressæ confu- lui, selectiora quoque deprompsi ex Me- zerajo, ex historia Franciæ Patris Danie- lis, aliisque Auctoribus, qui quorundam Regum vitas speciatim ediderunt. Tan- dem occurrente occasione de quodam Sancto differendi, Bailletum secutus sum.

Nunc ergo de instituti mei execu- tione iudicium Lectori relinquo, & nisi e- jusdem humanitati confusus mihi persua- siffem, quod a tenuitate mea opus adeo ex-
quisi-

quisitum, eruditum, ac exactum non expectaverit, quale erat illud, quod profector, certe nunquam hanc provinciam in me suscepissem. Quocunque tamen modo benignus Lector meum laborem æquibonique consuluerit, semper tamen ipsius patientia, ac venia mihi erit necessaria, quam iterato precor ob quosdam paucos quidem, & minus graves hinc inde irrepentes typi errores, quamvis illis corrigendis in hac ultima editione nulla non adhibita fuerit industria. Expunximus quoque plures ambiguas Phrases, sensum improprium referentes, additis etiam non nullis, ex quibus ea, quæ referuntur, majorem lucem accipere videntur. Denique ut hæc nostra continuatio Fleurianæ Historiæ magis conformis censeatur, totum opus in Libros partiti sumus, incipientes a centesimo primo, eo quod Doctissimi hujus Historici volumina non nisi centum complecterentur libros.



INTER-